



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sententia xxj. Ioan. xvj. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, &c. xl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

agricolis seminantibus sumpta similitudine: qui cum
 maiore & felicitudine, nec sine magno labore seminant,
 postea vero cum letitia metunt, & ubertate messis ex-
 hilarantur. Solliciti quidem eunt, & mœrent portantes
 & spargentes semina sua: verum post veniunt gaudio
 pleni, referentes manipulos suos in horrea. Ita si lachry-
 mas penitentia seminauerimus, fecunda sine dubio
 messis nobis indulgentia orietur: & si crucis onus Chri-
 sti sequentes viriliter portauerimus, regnû profectò
 beatitudinis aeterna, in quo cum Christo perpetuo gau-
 deamus, exeuntes è corpore consequemur. Quia, Apo- 1. Tim. 2.
 stolo teste, si commortui sumus, & conuiuemus: si susti-
 nebimus, et conregnabimus. V. de autem immensam Dei
 pietatem. Calamitas, qua fideles premit, est breuis: at
 gloria quam illis tribuit, est sempiterna. Quod intelli- 1. Cor. 4.
 gens idem Apostolus, Id enim, inquit, quod in presenti
 est momentaneum & leue tribulationis nostrae, supra
 modum in sublimitate aeternum gloria pondus operatur
 in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed
 quae non videntur. Quae enim videntur, tēporalia sunt:
 quae autem non videntur, aeterna sunt.

SENTENTIA XXI. Ioannis 16.

Qui diligit me, diligitur à Patre meo: & ego dili-
 gam eum, & manifestabo ei meipsum.

PARACLESIS.

NE cui asper videretur & durus Christi sermo, CAP. XL.
 quem de cruce ferenda toties repetiuit, neque ille
 sub cruce deficeret: tres insignes addidit promissiones,
 quibus nihil esse poterit sublimius, acceptiusve. Quid
 enim homini maius cōtingere potest, quam diligi à Deo?
 Nam si diligere est alicui bonum velle, quis non videt
 eum, quem

eum, quem Deus diligit, omnibus bonis affuturum, nihilque ei incommodare posse? Quis unquam tale quod sperare ausus fuisset? Altera promissio eque insignis est. Et ego diligam. Pater igitur diligit, spiritum adoptionis dando: ego autem diligam, effectum redemptionum ipsum deriuando: nempe saluificam gratiam in presentibus & gloriam in futuro. Iam quem Pater diligit et Filius, quis ei nocere poterit? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Custodit enim Dominus omnes diligentes se. Tertia promissio & ipsa maxime est insignis, Et manifestabo ei meipsum. Per Spiritum Sanctum, inquit, totum me reuolabo ei qui me diligit: ut sentiat in afflictionibus presentem consolationem, in morte presentem vitam, in peccatis presentem iustitiam. Christus enim Consolatio est, & Vita, & Iustitia nostra: Denique manifestabo nobis seipsum, quando nos hinc ad eternam felicitatem assumpturus est: ubi absterget omnem lachrymam ab oculis nostris: & dabit coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu meroris. Veni ergo Domine IESU.

Rom. 8.
Psal. 144.

Apoc. 7:11.
Esa 61.
Apoc. 12.

SENTENTIA XXII. Ioannis 16.

Ecce venit hora, & iam venit, ut dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.

PARACLESIS.

CAPVT
XLI.

Christum D. N. affluerunt in sua passione omnes homines, non inimici tantum, sed etiam amici. Inimici comprehenderunt eum, ligauerunt, & captiuum abduxerunt, percusserunt, conspuerunt, irriserunt, flagellauerunt, spinis coronauerunt, felle & aceto potauerunt, ac demum crucifixerunt: amici autem, partim vendiderunt, partim turpissime eum abnegauerunt: omnes scilicet